



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

2. Romanis Analibvs Inclvtvs Amnis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

usque ad ostium nomen *Luppia* gerit, cui soli, quæ in Romanâ, Francicâ & Saxonicâ historiâ memorantur, atque inter cætera, quod *per Bruëteros minores fluat*. Strabo. lib. 7. quod ab *ultimis Bruëterorum*, à saltu *Teutoburgiensi* & *Amisiâ* haud procul abfuerit. Tacit. quod *ad caput Tiberius hiberna locaverit*. Vell. *ad confluentes cum Alifone castellum Drusus posuerit*. Dio. accommodari queunt. Quomodo igitur aut Neccarus aut Lanus potuit esse *Luppia*? non illi *Luppia* oppido juxta Ptolemæum in medijs Germaniæ finibus sito, & in tribus clarissimis locis ab eo numerato; non *Lippenheimio* in *Annalibus Francicis* celebri; non *Lipstadio* tribus *Paderborna* milliariibus remoto, quod antiquum Ptolemæi oppidum Cluver. esse contendit; non familiæ nobilium *Dominatorum* & *Comitum*; non saltui, non toti *Lippiensi Comitatu* nomen dederunt.

2. ROMANIS ANNALIBVS INCLYTVS AMNIS. Velleji, qui primus inter Latinos annis meminit lib. 2. Taciti. l. 2. An. & 5. hist. Dionis. lib. 54. Multa enim & præclara ad hunc fluvium *Drusus*, *Tiberius*, *Germanicus* egerunt.

3. NEC MINVS IN FRANCA NOBILIS HISTORIA. Sæpe bello & expeditionibus Saxonis implicitus ad *Luppiam* *Carolus M.* venit, castra posuit, memoria & monumento digna multa gessit. Hinc in *Francicâ historiâ*, in vitâ *Caroli M.* apud *Pithæum*. *Annalibus Franc.* apud eundem *Astronomi à Reubero*. *Poëtæ Anonymi à Reineccio* editi. *Adelmi Benedictini*, *Reginonis*, & *Vrspergensis*, aliâque nobilis & clarus *Luppia*.

4. HIC ORITVR. Non in montibus *Hassicis*, ut *Althamerus* in *Taci. de morib. Germ.* sed sub castro *Lippsringa* uno milliari à *Paderborna* in *ultimis Bruëteris*, & postquam